

INDEX
Alphabetico & Voluminis.

A.

De Enigmatis legum	No. 2.
Apicibus juris.	3.
Anno novi iustitia.	16.
Angelorum iure.	22.
Abentmagis drect.	25.
Artifice voluptatis.	10.
Ascensionis uerse.	18.
Abraham drecte.	34.
Arborum iure.	27.

B.

De Baptismi iure	24.
Baum drecte.	27.
Blumen drecte.	26.
Bono publico privatorum bonis preferendo.	38.
Bonorum omnium iustitia	37.

C.

De Clypeo militari.	No. 11.
Circis signo, Kreuzzeit	15.
Capite jejuniij Ascensionis	18.
Canicularibus diebus.	21.
Christfest drect.	23.
Canes sacra iure.	25.
conventiones prohibita Ma- gistratibus cum subditis.	28.
collestarum iure.	36.
culpa propria imputare	40.
cenfus professionis.	43.
controversa Theres.	41.

D.

De diebus canicularibus.	21.
Decanis.	30.
Decremento.	19.
Dignitatis putinae memoria.	9.

E.

De Embria felici.	8.
Ex quo pendet.	29.
Embryonum iure	35.
Exdes wiederseim/Giebung.	45.
Engel drecte.	22.

XX.

AD ASSISTENTE SPIRITVS S. GRATIA.

DE EO QVOD IVSTVM EST

CIRCA

FESTVM PENTE-
COSTES,

Dom

Rechte des Heil. Pfingst-Festes.

EXERCITATIO IVRIDICA

QUAM

PRÆSIDE

DN. CHRISTIANO WILDVOGEL

JCTO, SERENISSIMORVM FRATRVM, DVCVM SAXO-VI-
NARIENSIVM CONSILIARIO AVLICO, PANDECTARVM PROFES-
SORE PVBLICO ORDINARIO, CVRIÆ PROVINCIALIS, NEC
NON FACVLTATIS IVRIDICÆ ET SCABINATVS
ASSESSORE GRAVISSIMO

IN ACADEMIA JENENSI

PVBLICÆ DISQVIVISIONI

subiicit

AVGVSTVS MAGNVS PRINTZ,

Budissinus

MENSE IVLIO

AN. DOM. MDCXCI.

Literis SAMVELIS ADOLPHI MVLLERI.

LAUDATISSIMÆ REIPUBLICÆ
BUDISSINENSIS

Magistratui inclyto

VIRIS

*Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, Consultis-
simis ac Prudentissimis*

Dnmm.

CONSULIBUS
SYNDICO
PRÆTORI

Reliquisque

SENATORIBUS

Dnmm. Patronis & Promotoribus suis nullo

non observantiæ & obsequii cultu æviternum

suspiciendis

Salutem & Prosperitatem perpetuam.

Diu, Promotores & Patroni Magni, animo anceps hæsi, num' leviusculæ hæ & incomptæ pagellæ sublimibus Vestris consecrandæ sint Nominibus: Sublimes enim sublimia decent. Verùm decantata Vestra Humanitas vacillantem confirmavit mentem: Nam oculos non semper ardua & excelsa, sed quandoq; etiam tenuia & humi posita respicere constat. Accipite itaque primitias studiorum meorum, non tanquam beneficiorum pretium, sed tanquam veram observantiæ, officii, amoris æterni & obsequii religiosissimi tesseram, & ignoscite Vestrum nomine me illas condecorasse. De cætero à vobis, Patroni observandissimi, ut studia mea perro eo, quo cœpistis, modo benigne juvare & promovere pergatis, obnixè contendo: præsertim cum optimo, proh dolor! Parente (quem ante aliquot abhinc hebdomadas Sapientissimi & Immortalis DEI consilio mortalitatis Legem implevisse nostis,) jam sim privatus, ut ejus vices obire ne gravemini; eo, quem filius debet, amore & obsequio humillimè peto. Pro quibus omnib; omni tempore me devinctum obligatumq; confitebor. Valete.

Jenæ die Julii, 1691.

Vestrarum Nobil. & Amplitud.

humillimus Cærens

A. M. Pring, LL. Stud

❁(o)❁

I. N. D.
PRÆLOQVIUM.

Dest ineffabile illud DEI O-
ptimi Maximi beneficium, quo is Fili-
um suum ab aeterno genitum pro perdi-
to hominum genere redimendo acerbis-
sima tradidit passioni ac morti, tertiâ
vero die in vitam iterum reduxit glo-
riosissimè, recolat Ecclesia missionem illam Spiritus Sancti,
à Christo Apostolis promissam, atq; post ejus adscensionem
reapse in Festo Pentecostali impletam. Effusione namq;
super Apostolos factâ, intellectus eorum discussis ignoran-
tia & diffidentia nebulis illuminatq;, viresq; mentis adeo
fuerunt corroboratae, ut ea quae antea vix ac ne vix qui-
dem capiebant, mox perfectè tenerent, quae ipsis anigma-
ta videbantur, jam intimius cernerent, sicq; non rerum
saltem à Salvatore gestarum seriem Magnaliaque DEi
variis linguis enarrare, sed & ipsa salutis dogmata alios
docere, & aeternae vitae viam liquidò monstrare quam ma-
ximè valerent. Nec in ipsis solis hoc Spiritus Sancti do-
num haesit, sed communicatum id postea fuit pluribus, qui
voces ipsorum & de Christo praedicationes cum attentione
audiebant: quin & per verbum salvificum hodiernum
datur omnibus qui faciles eidem praebent aures, nec ipsi-
met resistentiâ malitiosâ ingentis hujus thesauri possessio-
nem impediunt. Hujus igitur caelestis beneficii dum pius

A

cre-

De Eo Quod Justum Est

credentium cœtus in Pentecostes Festo recolit memoriam,
muneraque Sancti Spiritus maximo cum gaudio cordis
depradicat, nostrarum esse partium duximus, stylo
quoque juridico celebritatem istam augere, inq̄, Jctorum
cathedra ea, quæ ad leges tam sacras quam politicas hoc
de tempore sancitas pertinent, tractare, sicque exiguo scri-
pto proponere id, quod circa Festum Pentecostes
justum est. Quod dum facimus ipsum sacratissimum
Spiritum devotis imploramus precibus, ut gratia supernâ
labori huic adesse, lumen sensibus accendere, amorem in-
fundere cordibus, infirmaq̄, nostri corporis virtute
suâ firmare dignetur perpetim.

J. N. J. C. A.

DE EO QVOD JUSTVM EST

CIRCA

FESTVM PENTECOSTES

CAPUT I.

De Tempore Pentecosten an-
tecedente, *Quinquagesima* dicto.

§. I.



Ntequam ipsam Festi penteco-
stalis tractationem suscipiamus, pauca
quædam de sancto illud antecedente
Tempore, ex conciliorum decretis no-
tare lubet. Solemnitatem namque pa-
schalem in Ecclesia Romana jam
inde

inde ab antiquis seculis nova excepit solennitas, seu ordo festivalis, quinquaginta continuis diebus constans, quæ ab hoc dierum numero QVINQVAGESIMA dicta fuit. Dies nimirū Pascha proximè sequentes usq; ad Pentecostes festū primito omnes erant festi, & propter gaudiū Resurrectionis, nec nō Ascensionis Dominicæ honorē, itemq; Spiritus S. adventū, continuā agitabantur lætitiā spirituali: Imò integrum illud 50. dierum spatium Pentecosten fuisse appellatum, ex Tertulliano probat Jacob. Gothof. *ad l. V. C. Theod. de spectac. §. 4.* eoque refert locum *Actor. II.* ubi dies pentecostes impletæ dicuntur, & tam Syro quam Latino interprete legunt τὰς ἡμέρας τῆς πεντηκοστῆς. Adeo verò sancti habebantur iidē, ut à jejuniis & à genuū flexione Christiani in illis abstinerēt. Sic enim D. Ambrosio *in serm. LXI. relatus in Can. VIII. dist. 76.* Per hos, inquit, quinquaginta dies nobis est jugis & continuata festivitas: ita ut hoc omni tempore, neque ad observandum inducamus jejunia, neq; ad exorandum Deum genibus succedamus. Instar ergo Dominicæ, tota quinquaginta dierum curricula celebrantur, & omnes isti dies velut dominici deputantur. Resurrectio enim dominica est. Nam in Dominica resurgens Salvator reversus ad homines est, & post resurrectionem tota quinquagesima cum hominibus commoratus est. Æqualis ergo eorum necessarium ut esset festivitas, quorum æqualis esset & sanctitas. Sic enim disponit Dominus, ut sicut ejus passione quadragesimæ jejuniis contristaremur, ita ejus resurrectione in quinquagesimæ feriis letaremur. Non igitur jejunamus in Quinquagesima, quia in his diebus nobiscum Dominus commoratur. Consimilia sunt, quæ Augustinus habet *tract. XVII super Johann.* & leguntur in *Can. XXV. d. Consecrat.*

4 *De Eo Quod Justum Est*
crat. dist. 5. ubi Quinquagesimam hanc jejunii peracti
mercedem constituit, ita scribens: Denarius, qui accepit
nomen à numero decem, redditur, & conjunctus quadra-
genario fit quinquagenarius. Unde cum labore celebra-
mus Quadragesimam ante Pascha: cum lætitiâ verò tan-
quam acceptâ mercede, Quinquagesimam post Pascha.
Nam huic tanquam salutari labori boni operis, qui per-
tinet ad quadragenarium numerum, additur quietis & fe-
licitatis denarius, ut quinquagenarius fiat. Significavit
hoc & ipse Dominus Jesus multò apertius, quando post resur-
rectionem quadraginta diebus conversatus est in terra cum
discipulis suis, quadagesimo autem die, cum ascendisset in
coelum, peractis decem diebus misit mercedem Spiritus
Sancti.

§. II. Quantum quidem ad ritum Genuflexio-
nis hoc tempore vetitum attinet, non immeritò subdu-
bitamus, num hæc prohibitio ratione ulla nitatur? Quid
enim geniculatio spirituali lætitiæ obesse potest aut de-
trahere? aut ideone in Domino gaudere jubemur, ut
nullo planè Dominum honore, qui fit genuum inclina-
tione, macremus? Observatum tamen fuisse constan-
ter eundem hunc morem in Ecclesia veteri, discimus ex
Tertulliano, *de Coron. Milit.* ubi inter alia, *die Dominico*
inquit, nefas ducimus jejunium vel de geniculis adorare:
eadem immunitate à die Paschæ usq; ad Pentecosten gau-
demus. Quin & Apostolos ceremoniæ hujus Autores
constituere visum fuit Hilario in Prolego. ad Psalm. Ab
Apostolis, dicens, Sabbata Sabbatorum ea religione cele-
brata sunt, ut his Quinquagesimæ diebus nemo stratus
corpore adoret, neq; jejunio festivitatem hujus beatitudi-
nis

Circa Festum Pentecostes

dinis impediatur. Verum longè petitam esse hanc derivationem, nec nisi sub eà ratione probari posse, quâ prisci, sumpta ab exemplo Christi & Apostolorum quacunque occasione, ritus suos ad eorundem institutionem, referunt, judicat Hildebrand. *Ritual. orant. cap. VI. §. 5.* Imò ipsum Apostolum Paulum id minimè observasse, ex *Act. XV. v. 36.* liquidò constat, dum ibi Paulus Thabitam resuscitaturus in genua procubuisse legitur, cum tamen id factum sit intra Pascha & Pentecosten: festinabat namque Paulus, ut die Pentecostes Hierosolymis esset, *d. cap. v. 16.* Licet igitur Alexander III. Pontifex huncce ritum stricte observari jubeat *in cap. II. de feriis* statuens, ut *inter Pascha & Pentecosten genuum flexio nequaquam fiat, nisi aliquis ex devotione id velit facere in secreto.* Sublatus tamen is fuit insequentibus seculis, nec in Ecclesiis nostris hodiè servatur, maximè cum in opere isto operato cultus divinus haud resideat, prout rectè observat Hildebrand. *d. tr. Cap. VII. §. 5. Vid. infra Cap. III. §. 2.*

§. III. Idem circa Jejuniorum omissionem per Quinquagesimam successu temporis usu venit, majorque hominibus libertas circa hanc solennitatem data fuit: nam & Jejunia intra Pascha & Pentecosten permisere Ecclesiæ Patres, eaq; in arbitrio cujusvis libero reliquerunt. Ita enim Isidorus *Lib. I. de eccles. offic. cap. 42. adductus in Can. IX. dist. 76.* Post Pascha usq; ad Pentecosten, licet traditio Ecclesiarum abstinentiæ rigorem prandiis relaxaverit, tamen si qui monachorum vel clericorum jejunare cupiunt, non sunt prohibendi, quia Antonius & Paulus & ceteri Patres antiqui etiam his diebus in eremo leguntur

abstinuisse neq; soluisse abstinentiam nisi tantum die domi-
co. Et Hieronymus Epist. XXVIII. ad Lucinium. Nec hoc
dico, ait, quod dominicis diebus jejunandum putem, & con-
textas quinquaginta diebus ferias auferam, sed unaquaq;
provincia abundet in suo sensu, & precepta majorum leges
Apostolicas arbitretur, prout refertur in Can. XI. d. dist. 76.

§. IV. Inter Quinquagesimæ hos dies cum primis
notari meretur Septimana Paschæ festum proximè inse-
quens, quæ in *Albis* vocatur, nec non *Dominica* eidem
contigua, itidem in *Albis* dicta, vulgò *der weisse Sontag*.
Causa hujus denominationis ea est, quòd antiquitus Sab-
bato magno ante Pascha, baptismo sacro initiati per to-
tam hanc septimanam albat, id est, vestibus albis amicti
incederent: Ex quo Neophyti illi Fulgentio *Nivea grex*
appellantur, & dies illi octo vocantur Neophytorum dies
Augustino, Epist. C. XIX. cap. 17. Vid. Hildeb. d. primit. Eccles.
Sacr. Temp. & Fest. tit. *Septimana in Albis*. De hac jam septi-
mana id solum notasse sufficiat, quod ex placito Gregorii
VII. legitur in can. XV. d. Consecr. dist. 5. In die Resurrectio-
nis usq; in Sabbathum in *albis*, & in die Pentecostes usq; in
Sabbathum ejusdem, tres Psalmos tantum nocturnos, tresq;
lectiones antiquo more cantamus & legimus. Omnibus die-
bus aliis, per totum annum, si festivitas est, novem Psal-
mos & novem lectiones dicimus. Aliis vero diebus duode-
cim Psalmos & tres lectiones recitamus; De quo tamen
Pontificis instituto Vid. D. Præl. Disput. d. Fest. Pasch. cap. II.
§. 6. in fin.

§. V. Nec silentio prætereundum est, quod devotis
Deo virginibus velamen non nisi aut Epiphaniarum die
aut in *Albis paschalibus*, aut in Apostolorum natalitiis im-
poni

Circa Festum Pentecostes.

poni prohibetur, nisi forsan gravi langvōre correptis, ne scilicet sine hoc mūnere de sœculo exeant, prout rescribit Gelasius Papa relatus in *Can. XI caus. 20. qu. 1.* Intelligi autem per *velum* illud, *Consecrationis*, non verò *Conversionis* seu professionis, patet ex *can. seqv. XV.* & docet Ægid. Bellemera *ad d. can. XI. caus. 20.* Velum quippe Pontificiis duplex est, unum dicitur *Conversionis*, quod viduæ datur, quodque ipsamet sibi imponere potest, *can. XXXIV. caus. 27. qu. 1.* atque hoc si fecerit, & in ecclesia inter velatos oblationem Dei obtulerit, velit nolit sanctimoniam habitum ulterius retinere debet, *cap. IV. d. religios.* Alterum appellatur *Consecrationis*, quod solis virginibus conceditur, Gloss. in *d. cap. IV. verb. imposuerit.* & dicitur græcè *καταπέτασμα.*

§. VI. Ad *Quinquagesimam* hoc tempus porrò referimus, quod decretum Concilii Antiocheni *cap. XX.* quotannis per singulas provincias Episcoporum concilium bis fieri jubeat, convocatis ad illud presbyteris rationem reddituris, semel quidem post tertiam hebdomadam Paschalis festivitatis, ita ut quarta demum hebdomada, quæ consequitur, id est, *media Pentecoste*, id compleatur, juxta verba quæ allegantur in *Can. IV. dist. 18.* Unde & præstatio, seu munerum oblatio, quæ convenientibus tunc presbyteris ab Episcopo indici consueverat, *Paschalis præstatio* vocabatur, eò, quod Synodus post Pascha solebat convocari, annotante Strauch. *Amœnit. Jur. Canon. Eclog. IX. cap. 4. n. 5.* Aliud tamen tempus Concilium Nicænum constituit, definiens, ut *semel concilium ante dies quadragesima habeatur, quo omnibus, si quæ sunt, simultatibus, amputatis, mundum jejunium & solenne Deo possit offerri:*

ΜΗΤΡΟΠΟΛΙ

secun-

8

De eo Quod Justum Est

secundum verò agatur circa tempora autumnii, quod refert Gratianus in can. III. d. dist. 18. Et hujus Nicæni concilii tanquam potioris & nobilioris auctoritate, prædicti Antiocheni decreto derogari, dicit Jo. Anton. à S. Georgio, dictus Præpositus ad b. can. III. dist. 18. n. 4. nisi quis dicere malit, diversas in diversis hisce canonibus indigitari consuetudines, ut in arbitrio positum sit, concilium vel ante Quadragesimam, vel intra Pascha & Pentecostem celebrare. Sed & alium annalis hujus concilii terminum ponit Canon Apostolorum (uti vocantur) XXXVI. quando ita statuit: δεύτερον ἔτις σύνοδος γινέσθω ἑπισκοπῶν, &c. ἅπαξ μὲν τῆ τετάρτῃ ἐπονομαδί τῆς πεντηκοστῆς, δεύτερον δὲ ὑπερβεβηταῖς δωδεκάτῃ. Bis in anno Episcoporum celebratur Synodus: ac pietatis inter se dogmata in disquisitionem vocantur, neq. non in Ecclesiis incidentes contradictiones dirimuntur, semel quidam QUARTA FERIA PENTECOSTES, secundo duodecima Hyperberetei. Aliud denique placuit Justiniano Imperatori, qui abolita canonis hujus apostolici auctoritate, unam tantum synodum quotannis fieri jubet, mense nim. vel Junio vel Septembri, in Novel CXXXVII. cap. 4. In nostris Evangelicorum plerisque Ecclesiis antiquus iste mos cogendi synodos particulares prægnantibus ex rationibus hodiè est abrogatus, earumque loco visitatio quædam anniversaria à Superintendente per illam, cui præest, diocæsini quotannis instituenda, nec non ejusdem ad conventum generalem relatio est surrogata, cujus causas & procedendi modum præ aliis latius exponit Potentiss. Sax. Elector Augustus in Ord. Eccles. tit. vom Ober-Consistor. cap. vom Synodo. §. damit aber ic. verbis: Haben wir an stat obgemeldter particular-Synodorum

nodorum der Superintendenten verordnet / das hinführo jährlich bey unsern Ober Consistorio zu Dresden / an einen besondern darzu verordneten und von der Regierung abgesonderten Ordt / zween General Synodi gehalten / und in denselben vermöge nachfolgender Ordnung / alle eingebrachte Fehl und Mängel an Kirchen und Schuldienern / wie auch ihren Zuhörern abgelesen / mit Fleiß erwogen und berathschlaget werden soll / wie solche abzuhelffen und zu verbessern seyn mögen. Atque huic negotio tempus itidem intra Pascha & Pentecostē profixum voluit Serenissimꝰ Legislator *d.l. Ord. Eccles. cap.* Wenn die Synodi gehalten *ic. verb.* So ordnen und wollen wir / das die Superintendenten und Adjuncten die Visitation dergestalt anstellen / daß sie damit vor Mißfasten im Winter / und Mariæ Geburt im Sommer fertig werden / und dem general Superintendenten die selbigen voritz gemeldeter Zeit zu stellen / welcher sich mit den extraceten darnach achten soll / daß dieselbigen vor Quasimodogeniti im Frühling / und vor Michaelis im Herbst fertig werden / und also obgemeldete General Synodi allerwegē nach Quasimodogeniti und Michaelis bey unsern Ober Consistorio zu Dresden gehalten / dazu die verordneten *Generales Superintendentes* verschrieben werden sollen / *ic.*

§. VI. Incidit præterea in Quinquagesimæ hoc tempus, *Festum Ascensionis Domini*, cujus solennis feriatio non solum à Manuele Comneno Orientis Imperatore, in Constitutione ejus II. quæ extat post Novellas Justiniani, verb. *καὶ ἡ τῆς σωτηρίας ἀναλήψης, tum etiam Servatoris assumptio.* Sed & Jure Canonico, *can. 1. d. Consecr. dist. 3. § cap. fin. d. feriis.* nec non Constitutione Imperii

B

In

In der Kayserl. Erklehr. wegen der Religion zu Augspurg. An. MDXLIX. tit. von den Ceremonien. §. man sol auch die Fest. .ic. ib. Die Auffarth des HERRN est mandata: Quam & Ecclesiæ nostræ evangelicæ hodiè sequuntur. Vid. Chur. S. Kirchen-Ord. Tit. von den sondern Festen. It. Weimar. Kirchen-Ord. Part. I. cap. 10. §. Der Tag der Himmelfarth Christi wird auch billig ganz gefeyret.

§. VIII. Quamvis autem, secundum superius tradita, jugis quædam & continuata frstivitas absque jejuniis & genuflexione per totam Quinquagesimam servata quondam fuerit à primitiva Ecclesia, peculiari tamen ratione triduanum Jejunium ante Ascensionis festum fuit introductum. Primus hujus instituti auctor perhibetur Mamertus Viennæ in Gallia Episcopus, permotus ad id vastis terræmoribus, qui circa An. Chr. CCCCLXVI. Regnum miserè affligebant, visisque spectris, nec non lupis & ursis, qui portas urbium ingressi & per plateas vagati immane quantum homines terrebant, Polyd. Vergil. *Lib. VI. d. rer. Invent.* Adjecit postea Gregorius M. Litanias majores, quæ preces tum pro Ecclesiæ, Politicæ & Oeconomix, tum & privatorum salute complectebantur, Hildebr. *d. Primit. Eccles. Sacr. Templ. & Fest.* Has denique Litanias & jejunia confirmavit Concilium Aurelianense I. relatum in *can. III. d. Consecr. dist. 3.* ita sanciens: *Rogationes, id est, Litanias, ante Ascensionem Domini placuit celebrari, ita ut præmissum triduanum Jejunium in dominica Ascensionis solennitate solvatur: per quod triduum servi & ancillæ ob opere relaxentur, quò magis plebs universa conveniat. Quo triduo omnes abstineant, & quadragesimalibus cibis utantur.* Ab his igitur Rogationibus publicis tam Dominica dies Festum Ascensionis præcedens, quàm tota illa

illa septimana nomen adeptæ est, ut vocetur *Rogationū*, Die *Bettwoche* / und *Bettsonntag*. Et hæc *Rogationes* tribus diebus non solum inter ferianda tempora ex decreto concilii Lugdunensis referuntur, in *can. I. d. consecr. dist. 3.* quod repetit Imperator Carolus V. in der Kaysersl. Erklärung wegen der Religion *An. MDXLVIII. Tit. von den Ceremonien.* §. Man soll auch behalten die Bettwochen vor der Auffahrt des Herrn. Sed & in istis omnes actus judiciales, præsertim juramentorum præstationes, prohibiti fuerunt per Concilium apud sanctum Medardum habitum, cujus sanctio legitur in *can. XVII. caus. 22. qu. 5.* his verbis: *Decrevit sancta Synodus, ut à Septuagesimâ usque in octavam Pasche, & ab adventu Domini usq; in octavam Epiphania, nec non in jejuniis quatuor temporum, & in litanis majoribus, & in diebus dominicis, & in diebus Rogationum (nisi de concordia & pacificatione) nullus super sacra Evangelia jurare præsumat.* Quod & nunc observat Camera Imper. Vid. *Ord. Cam. Wormat. de An. MDXXI. tit. vacantz. & d. An. MDLV. Part. 2. tit. 33.*

§. IX. Has tandem Litanias & Rogationes sequiori ævo Papicolæ commutarunt in Processus solennes, vulgò *Bettfahrten* / congregatisque vicinis Deum pro conservatione recentium frugum invocarunt publicè, quos late describit & exponit Guilielm. Durand. *Ration. div. offic. Lib. VI. c. 102.* Qui quidem mos in se haudquaquam videtur culpandus, modò non in Ambarvalia ethnica & detestandam degenerasset superstitionem, quando trunci & sanctorum imagines circum frumenta crescentia lati fuerunt, & adhuc feruntur, quasi per hos ab injuria quavis defendi possent segetes, de quo conqueritur Casp. Finck. *Meditat*

theolog. d. appell. Dom. post. F. Pasch. §. XXXIV. & XXXVI.
 Magis autem laudem meretur, magisque approbanda venit nonnullorum locorum Consuetudo, quâ rustici circa idem tempus *Ferias suas tonitruales* celebrant, communiter *Die Hagelfeyer* / convenientes sc. in templo, concionem audientes, conjunctasque fundentes preces ad Deum, ut fruges terræ à tempestatibus aliisque periculis & incommodis custodire dignetur, Vid. Finck. *cit. loc. §. XXXVIII. & XL.*

§. X. Fuit & quondam in certis quibusdam Ecclesiæ Romanæ locis receptum, ut à Septuagesima usque ad septimum post Pentecosten diem, & sic per totum Quinquagesimæ spatium nuptiæ non concederentur celebrari, cum contra aliis in locis eadem tribus tantum ante Ascensionem diebus, usque ad octavam post Pentecosten, prohiberentur: qua de re consultus Clemens III. Papa certum quidpiam determinare noluit, sed, *sive secundum canones à septuagesima usq. post octavas Pasche: sive juxta consuetudinem Ecclesiæ Romanæ usq. post 7. diem festi Pentecostes (quod caret octavis) nuptiæ suspendantur, in dominica qua sequitur, & deinceps licite celebrari, permisit. cap. IV. de feriis.* Nostræ Ecclesiæ DD. orthodoxi cum Magistratibus politicis, nullum hic temporis discrimen quoad nuptias celebrandas agnoscunt, nisi quod earundem solennitatem in die festo & sacro peragi nolunt, adeoque nuptialem festivitatem in septimana Rogationum fieri concedunt, ita tamen ne tertius huic solennitati destinatus dies in Ascensionis Festum incidat, vel is saltem usque post illud festum differatur, quò scil. absque impedimento sacra tractari possint, omnisque commestationibus carnis ac voluptatibus
 occa-

occafio præcidatur, juxta ea, quæ habet Carpz. *Jurispr. Consist. Lib. II. def. 156.* Sed ad ipsam progrediamur Pentecostes considerationem: Sit igitur

CAP. II.

DE

ORIGINE ET OBSERVATIONE FESTI PENTECOSTES,

§. I.



PENTECOSTES verbum græcum esse, ac denotare *quingagesimam* diem, perinde ac Græcos dicitur *πεντηκοστή*, sc. *ἡμέρα*, *Actor. II. v. 1. & XX. v. 16. I. Cor. XV 1. v. 8.* nemini est ignotum. Licet autem hoc vocabulo quondam totius quinquaginta dies, à Paschatis festo numerandi, fuerint denotati: Propriè tamen hoc nomine venit solus *quingagesimus* dies post Pascha, qui S. Spiritus facter est, & in quo ejus missionis, Apostolis primùm, dein & aliis factæ memoria in Christianorum Ecclesia celebratur. Germani vocant *Pfingsten* / quod idem esse volunt, ac *der funff igste Tag nach Ostern.*

§. II. Pentecostes hoc quidem festum, æque ac Paschatis, Christianis cum Judæis commune est. Nam sicut quingagesima die à pascha Hebræis ex lege divinâ pentecoste colebatur *Levit. XXI. vers. 15. Deuter. XVI. vers.*

9. 10. Ita & Christiani totidem dierum decursu post Pascha Pentecostalem celebrant festivitatem. Verum non idem utrisque est finis, nec eadem celebrationis ratio: Judæi quippe hoc festo recordabantur Legis in monte Sinai quinquagesimo post exitum ab Ægypto die promulgatæ; nobis verò hoc festum exhibet memoriam missi à Christo Spiritus Sancti in Apostolos, quippe quæ die post Servatoris resurrectionem quinquagesimo facta erat. Judæi hoc festo panes offerre jubebantur de novo frumento confectos, ad declarandam suam pietatem ac gratitudinem erga Deum pro collectis frugibus: Nos autem divinum laudamus Numen ob Spiritus S. dona in nos collata, quod est offerre panem novum, sicut explicat Durandus *Ration. divin. offic. Lib. VI. cap. 117. n. 9.* Cæterum computationem hujus temporis, & quonam die Pentecostes Festum ab Hebræis celebrari debuerit, vide exactè deducentem Joh. Ligtfoot, in *Horis Hebraic. ad Evang. S. Lucae, cap. VI. vers. 1.*

§. III. Antiquissimam in Ecclesia Christiana hujus festi esse observationem, nemo dubitat: An verò sanctos Apostolos habeat autores, non æque constat. Polydoro Vergilius *Lib. IV. cap. 8.* exserte memorat nonnullos, qui putarint, pentecostes diem non fuisse festivum inter Christianos tempore Apostolorum, quoniam vestigia ejus nulla expressa extant in Novo Testamento. Et quamvis Lucas *Act. XX.* scribat, festinasse Paulum, si possibile sibi esset, ut Pentecostalibus sacris Hierosolymæ interesset; Sunt tamen, qui dubitant, utrum de Judæorum an Christianorum Pentecoste illud sit accipiendū, quos citatos vide apud Hospinian. *d. Fest. Christian. Tit. Pentecost. fest. Certè*
 pau-

tè paulum eodem studio & alacritate ad Judæorum festū properasse probabile est, cum ingens multitudo in illo convenire soleret, ex qua nonnullos per prædicationem Evangelii ad fidem se perducturum sperabat, sicut eadem de causa ipse Servator in majoribus festis plerunque Hierosolymam ascendit, & in celeberrimo Paschatis festo ibidem mori voluit. Polyd. Verg. *cit. loc.*

§. IV. Quicquid hujus sit, in concilio sanè Eliberino, quod Nicæno ferè coævum est, *can. XLIII.* hujus festi celebratio jam fidelibus legitur injuncta, ejusque institutio scripturæ assignatur, quando ita statuitur: *Pravam institutionem emendari placuit, juxta auctoritatem,*

Scripturarum, ut cuncti diem Pentecostes celebremus: quod qui non fecerit, quasi novam heresim induxisse notetur. Quare autem Imppp. Valentinianus, Theodosius & Arcadius in *L. II. C. Theod. de Feriis* hujus festi nullam fecerint mentionem, cum tamen Kalendas Januarias, nec non Paschæ dies, eosque qui septeno numero vel antecedunt vel sequuntur, recenseant: prætereaque ex *L. fin. C. Theod. de Spectac.* constet, Pentecostales dies in religiosissimis jam tùm fuisse numeratos, non immeritò mirum euidam videre posset. Sed resolvit hoc dubium Jac. Gothofr. in *not. ad d. L. II. C. Th. de fer. §. fin.* ratus, quod etsi Pentecostes solennitas apud Christianos religiosa celeberrate isto quoque jam perageretur tempore, nondum tamen juridicis diebus in orbe Romano tunc hos dies fuerint exempti, sed satis inter illa initia visum, si præcipui quidam dies, Paschales sc. & Solis, veneratione Christianæ religionis, exciperentur, ac non etiam alii, quantumlibet feriati, qui in diem Solis non incidere. Successu verò temporis ab Imperatoribus non solum, sed
& à

& à sanctorum Patrum congregatione hic dies in festorum catalogum fuit relatus: Manuel namque Comnenus Imperator in Constitutione suâ II. quæ adjecta hodiè legitur Novell. Imp. Justiniani expressè sancit: Ταύταις ὡς τέλειον ἀπελάττεις συνεξεταδήσονται καὶ αἱ μεσότητες τῆς τεσσαρεσκονθημέρου νηστείας καὶ τῆς πενήνητος, *Hisce omnino (vel in totum) feriatis diebus connumerabuntur medietates quadragesimalis jejunii, & PENTECOSTÆ.* Lugdunense quoque Concilium inter festa per annum ferianda recenset *Sanctos dies Pentecostes, can. 1. d. consecr. dist. 2.* Quod & placet Gregorio IX. *in cap. fin. X. de feriis.*

§. V. Circa ipsam tamen festivitatis hujus observationem, diversitatem quandam invenimus. Non enim par hujus festi solennitas semper fuit cum aliis festis majoribus. Paschalis quippe festum, nec non Natalis Domini, per integros octo dies primitus peractum fuisse, Pentecostes vero festum unicum tantum durasse diem novim9. Hinc Clemens V. *in cap. IV. de feriis. Pentecostes festū carere octavis* scribit. Sub finem deinde seculi XI. in Concilio Constantiensi decretum fuit, ut festum Paschatis tribus, totidemque Pentecoste celebraretur diebus, Hildebr. *de primit. Eccles. Sacr. Templ. & Festis.* Atque cum hac prisca Ecclesie Constitutione, modernæ tam pontificiæ quā Evangelicæ Religionis Ecclesie in hunc usque diem conveniunt, sanctum Pentecostes festum non solum majoribus accensentes festivitibus, sed & illud per integros tres dies, prædicatione verbi divini, cantione hymnorum sacrorum, Sacramentorum administratione aliisque ad divinum cultum facientibus operibus piis, solenniter agitan-
tes, prout non solum patet ex S. Casareæ Majestatis in
Comi-

Comitiis Augustanis An. M D XLVIII. promulgatâ declaratione in puncto Religionis. Tit. von den Ceremonien. §. Man soll auch die Fest. ib. die Pfingsten mit zweyen folgenden Tagen; Sed & legitur in *Ordin. Eccl. Elector. Sax. Tit. von den sondern Festen. ib. Der Pfingsttag von der Sendung des heiligen Geistes. In nonnullis tamen Evangelicorum provinciis, tertia hujus festi dies, æque ac Paschatis, dimidiam saltem partem solenniter celebratur, ut videre licet ex Ordin. Eccl. Viniariens. Part. I. cap. 10. verb. Mit dem Pfingst-Fest von der Sendung des heiligen Geistes soll es auch gleicher Gestalt / wie bey dem Feste der Geburt Christi und Oster-Fest gemeldet / gehalten werden.*

§. VI. Cæterum, cum diebus istis Pentecostalibus sacræ fidei dogma de Spiritu Sancto publicè è suggestu proponi soleat, non abs re erit, quænam veterum Imperatorum de hoc fuerit sententia, brevibus dispicere. Et quantum quidem ipsam Spiritus Sancti Personam atque Deitatem, quam Christiani in Symbolo Apostolico corde & ore profitentur, attinet, eandem Imperatoribus Gratiano, Valentiniano & Theodosio fuisse mentem, apparet ex Eorundem Edicto ad populum urbis Constantinopolitanæ, in *L. I. C. d. Sum. Trinit.* quæ desumpta est ex *L. II. C. Theod. d. Fid. cathol.* ubi cunctos populos, in tali volunt religione versari, quam divum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio usque tunc ab ipso insinuata declaraverat, hoc est, *ut secundum Apostolicam disciplinam Evangelicamq; doctrinam, Patris, Filii & Spiritus Sancti unam deitatem sub pari majestate & sub pia Trinitate credant.* Theodosius sc. M. cum in
C ip[s]is

ipsis Imperii sui primordiis videret, Orientem, cui præerat, hæresibus contaminatum, & per quadraginta jam annos, sub Arrianis Imperatoribus, Constantio nimirum & Valente, præcipuè Constantinopolitanum populum in varias distractum sectas & sententias, sicut Ecclesia ab Arrianis ferè tota teneretur, testante Sozomeno *Hist. Eccles. lib. VII. c. 5.* Arrianam potissimum hæresin pessundatam, catholicam è contrariò & orthodoxam fidem restitutam cupiens, ab ipsâ prius regia urbe Constantinopoli orsus est, unde velut ex acropoli seu capite exemplum in cætera derivaretur, adeoque veram de Spiritu S. doctrinam ex Apostolorum scriptis erutam publico hoc proposuit & explicavit edicto. Cui deinde mox aliam Constitutionem ad Auxonium Proconsulem Asiæ subjungit, in *L. III. C. Th. d. r.* quæ abest à Cod. Justin. jubens, *Episcopis tradi omnes ecclesias, qui unius majestatis atq; virtutis Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum confitentur, ejusdem gloriæ, claritatis unius, nihil dissonum profanâ divisione facientes, sed Trinitatis ordinem, personarum adsertionem, & divinitatis unitatem.*

§. VII. Consona hæc omnia esse divinis elogiis, nemo orthodoxus erit, qui inficias eat. Quare antecessorum suorum vestigia laudabiliter premens Justinianus gloriosissimus & verè catholicus Imperator, eandem fidei suæ confessionem edere nullus dubitavit in *L. V. C. de Summ. Trinit.* quando §. 1. eam ita exprimit: *πιστεύοντες γὰρ εἰς πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα, μίαν ἰσὶν ἐν θεοῖσιν ὑπόστασιν, προσκυνῶμεν μίον θεότητα, μίαν δύναμιν τεράδια ὁμοῦσιν,* h. e. interprete Contio, *Credientes enim in Pa-*

*in Patrem & Filium, & Sanctum Spiritum, unam
essentiam in tribus hypostasibus, seu subsistentibus personis,
adoramus unam deitatem, unam potestatem, trinitatem
consubstantialem. Quod & repetit in Edicto ad Con-
stantinopolitanos L. VI. §. 1. C. eod. Πιστεύομεν γὰρ εἰς ἕνα
θεὸν πατέρα παντοκράτορα, καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χρι-
στὸν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, καὶ εἰς πνεῦμα τὸ ἅγιον, μίαν ἔσιν
ἐν τρισὶν ὑποστάσεσι, ἡρῶσकुनῆντες μίαν θεότητα, μίαν δύνα-
μιν, ἡμᾶδα ὁμοῦσιον, i. e. ex ejusdem Contii versione:
Credimus itaque in unum Deum Patrem omnipotentem,
& in unum Dominum Jesum Christum, filium Dei, & in
Spiritum Sanctum unam essentiam in tribus hyposta-
sibus sive subsistentibus personis, adorantes unam deitatem,
unam potestatem, trinitatem consubstantialem. Add. L.
fin. §. 1. & 2. C. d. t.*

§. VIII. Nec aliud de operibus Sancti Spiritus
sensit pius Imperator, sed consentanea per omnia Sa-
cræ Scripturæ docuit. Cum enim conceptionem Chri-
sti in Mariæ utero Spiritum Sanctum obumbratione sua
operatum dicat Lucas, *cap. I. 35.* id itidem confessus fuit
Justinianus, *L. V. §. 1. C. d. Summ. Trinit.* credens τὸν
μονογενῆ τῷ θεῷ υἱὸν σαρκωθῆναι ἐκ πνεύματος ἁγίου, h. e.
Unigenitum Dei filium, incarnatum esse ex Spiritu Sancto.
Add. *d. L. fin. §. 1. & 2. eod.*

§. IX. Quando porrò Spiritus Sanctus corda fi-
delium inhabitare in Scripturis divinis asseritur *Roman.*
VIII. v. 9. 10. I. Iob. III. v. 24. I. Corinth. III. v. 16. & VI.
v. 19. Justinianus idem asserere sustinet, devotaq; men-
te sperat, id est, explicante Cujacio, *Lib. XII. Observ. c. 16.*

credit, Spiritum Sanctum ex summo rerum Parente accepit, *L. II. §. 1. C. d. summ. Trinit.*

§. X. Verum de Processione Spiritus Sancti, quid crediderit & docuerit Justinianus, non usquequaque videtur in procivi. Nota quippe est celebris illa controversia, quæ Græcam & Latinam Ecclesiam jam inde ab antiquissimis seculis distraxit, & in præsens usque seculum disjungit miserimè, dum Latini Spiritum Sanctum à Patre simul & Filio, spiratione prorsus ineffabili & nobis incomprehensibili, ab æterno procedere, asserunt, Græci contra à solo Patre per Filium & non à Filio simul eundem procedere contendunt. Agitata fuit hæc fideiquæstio per tot secula, atque in tot ventilata Patrum confesibus, tandemque tot ac tam firmi scripturæ dictis rationibusque Latinorum opinio firmata, ut mirum sanè sit, Græcos huic sententiæ hætenus accedere noluisse, sed schisma hoc in præsentem usque diem tenere pertinaciter. Nostrarum equidem partium & instituti non est, rationes, quæ ab utrisque proferuntur, hic vel adducere, vel discutere, sed curiosos ejus indagatores remittimus ad Scriptores Theologos, imprimis Dionysium Petavium, qui *Tom. I. Dogmat. theolog. Lib. VII. à c. i. usq. ad 19.* hoc thema copiosissimè pertractat. Cui verò sententiæ addictus fuerit Imperator noster, brevibus dispiciemus. Jacobus famè Cujacius *d. L. XII. Obs. c. 26.* statuit, Justinianum, cum in Græcorum Ecclesiis fuerit educatus, easque rexit, illorum hac in re fovisse opinionem: Cum enim recte credentes Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedere asserant, Justinianus unà cum Antecessoribus suis
Gra-

Gratiano, Valentiniano & Theodosio Eundem ex summo rerum parente sperari & accipi, dicit, in L. II. §. i. C. d. Summ. Trinit. indeque processionem ejus à solo Patre stabilire videtur. Veruntamen ab hac sinistra imputatione liberat Imperatorem quod is in Novell. CXXXI. c. 1. Constantinopolitanam synodum, unà cum Nicænâ, Ephesinâ prima & Chalcedonensi tanquam œcumenica approbat. Licet autem in dicta Constantinopolitana synodo, fideique in eadem facta confessione, processionis à Filio speciatim nulla fiat mentio, haud longo tamen post tempore, communi Ecclesiæ consensu, additum & insertum fuisse verbum: *Filiog*, & symbolum cum hac adjectione absque crimine innovatæ religionis cantari cœpisse, demonstrat Petav. Dogm. theolog. d. Lib. VII. cap. 2. & 19. Deinde verba d. L. II. C. Summ. Trinit. ita emendat Jacob. Gothofr. ad L. VI. C. Theod. de Heret. (ex qua desumpta est cit. L. II. C. Justin.) ut loco ejus, quod vulgò habetur: *qui spiritum sanctum* (qui id, quod ex summo Parente speramus, accipimus) vel uti legitur in Cod. Justin. *Spiritum Sanctum, quem ex summo rerum parente & speramus & accipimus & c.* Legi debeat: à quo id quod & c. adeoque non ad processionem Spiritus, sed ad ejus operationem & dona referantur. Tandem etiam responderi potest, Positione Patris in all. LL. non excludi sed potius comprehendi filium, quandoquidem Spiritus S. non tantum à Patre, sed & à filio mittitur. Job. XIV. v. 14. & XVI. v. 7. prout explicat Dionys. Goth. ad d. l. II. C. de Summ. Trin. n. 38. Jul. Pacius in Method. C. d. t. n. 14. Add. Georg. Christoph. Walther. Postill. Harn. in fest. Pentec. §. CXXCV.

§. XI. Atque juxta hanc fidei professionem Concilium Toletanum I. asserere non dubitavit: *Credimus Spiritum quoque esse Paracletum, qui nec Pater sit ipse, nec Filius, sed à Patre Filioq; procedens. Est ergo ingenuus Pater, genitus Filius, non genitus Paracletus, sed à Patre Filioq; procedens. Cum quo concordat Concilium Lugdunense, ita definiens: Fidei ac devota professione fatemur, quod Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre & Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio: non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit: hoc professa est hætenus, prædicavit & docuit, hoc firmiter tenet & prædicat, profitetur & docet sacrosancta Romana ecclesia, mater omnium fidelium & magistra: hoc habet orthodoxorum Patrum atq; Doctorum Latinorum, pariter & Græcorum incommutabilis & vera sententia. Sed quia nonnulli propter irrefragabilis præmissæ veritatis ignorantiam in errores varios sunt prolapsi: Nos hujusmodi erroribus viam præcludere cupientes, hoc sacro approbante concilio, damnamus & reprobamus omnes, qui negare præsumpserint, æternaliter Spiritum sanctum ex Patre & Filio procedere: sive etiam temerario ausu asserere, quod Spiritus sanctus ex Patre & Filio tanquam ex uno procedat, veluti refertur in cap. I. d. Summ. Trinit. in VI. Clarius tandem hunc articulum exposuit Græcamq; ecclesiam cum Latinâ conciliare amicus est Eugenius IV. in Concilio Florentino, cujus decretum legitur in cap. II. d. Summ. Trinit. in VII. his conceptum verbis: *Convenientes Latini & Græci in hac sacrosancta œcumenica Synodo, magno studio invicem usi sunt, ut inter alia etiam articulus ille de divina Spiritus sancti processione, summa cum diligentia & assidua inquisitione discuteretur.**

tur. Prolatis verò testimoniis ex divinis scripturis, plurimisq; auctoritatibus sanctorum Doctorum, orientalium & occidentalium: aliquibus quidem ex Patre & Filio, quibusdam verò ex Patre per Filium procedere decentibus Spiritum sanctum, & eandem intelligentiam aspicientibus omnibus sub diversis vocabulis, Græci quidem asseruerunt, quòd id, quòd dicunt, Spiritum sanctum ex Patre procedere, non hac mente proferunt, ut excludant Filium: sed quia eis videbatur (ut ajunt) Latinos asserere Spiritum sanctum ex Patre & Filio procedere tanquam ex duobus principiis & duabus spirationibus, ideò abstinuerunt à dicendo, quòd Spiritus sanctus à Patre procedat & Filio. Latini verò affirmaverunt, non se hac mente dicere Spiritum sanctum ex Patre Filioq; procedere, ut excludant Patrem, quin sit fons atq; principium totius Deitatis (Filii sc. ac Spiritus sancti) aut quòd id, quòd Spiritus sanctus procedit ex Filio, Filius à Patre non habeat, sive quòd duo ponant principia, seu duas spirationes: sed ut unum tantum asserant esse principium unicamq; spirationem Spiritus sancti, prout hætenus asseruerunt. Et cum ex his omnibus unus & idem eliciatur veritatis sensus, tandem in infrà scriptam & Deo amabilem eodem sensu eademq; mente unionem unanimiter concordarunt & consenserunt. In nomine ejus Sanctæ Trinitatis, Patris, & Filii & Spiritus Sancti, hoc sacro universali approbante Florentino Concilio diffinimus, ut hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur & suscipiatur, sicq; omnes profiteantur, quòd Spiritus Sanctus ex Patre & Filio aternaliter est, & essentiam suam suamq; esse subsistens habet ex patre simul & Filio & ex utroque aternaliter, tanquam ab uno principio & unica spiratione
pro-

procedit. Declarantes quod id quod sancti Doctores & Patres dicunt ex Patre per Filium procedere Spiritum S. ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur Filium quoque esse secundum Græcos quidem, causam, secundum Latinos vero, principium subsistentia Spiritus Sancti sicut & Patrem. Et quoniam omnia quæ Patris sunt, Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet, à quo etiam æternaliter genitus est. Diffinimus insuper explicationem verborum illorum Filioque, veritatis declaranda gratia & inminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.

CAPVT III.

DE EO QVOD IYSTVM EST

CIRCA

FESTVM PENTECOSTES

In ECCLESIASTICIS

§. I.

Vra circa Pentecostes Festum constituta consideraturi, separabimus negotia ecclesiastica à secularibus, & de utrisque seorsim videbimus. Ad illa igitur pertinet I. Feriatio Festi, quæ non sacris tantum Conciliorum decretis,

tis, sed & Imperii Constitutionibus, & omnium principum Christianorum Ordinationibus injungitur, prout *supr. cap. II. §. demonstravimus.* Tanta verò olim hujus festi fuit solennitas, ut ex decreto Concilii Agathensis, *cap. LXIII. & Avernenfis, cap. XIV. nulli civium licuerit illud celebrare in villa, nisi quem infirmitas probaverit tenuisse, can. V. de Consec. dist. 5.* eodemque Agathensi concilio fuerit sancitum, *ut si quis in clero constitutus ab ecclesia sua diebus pentecostes abfuerit, dum potius secularibus lucris studet, quam servitio Dei parere convenit, triennio à communione suspendatur, can. XXIV. caus. 7. qu. 4.*

§. II. Eò quoque in religionis Zelo processerunt Pontifices, ut Gregorius VII. in concilio generali lectiones & preces publicas in hoc festo recitandas ad numerum requisiverit, statuens, *ut in die Pentecostes usque in Sabbathum ejusdem tres Psalmi tantum nocturni, tresque lectiones antiquo modo cantentur, & legantur. Omnibus diebus aliis per totum annum, si festivitas est, novem Psalmi, & novem lectiones. In dominicis diebus XVIII. Psalmi (excepto die Pentecostes) & novem lectiones. can. XV. d. Consecr. dist. 5.* Verùm quid de hoc cultu divino ad numeros arithmeticos composito dicendum sit, aliorum judicio relinquimus.

§. III. Sed & hoc ad cultum divinum & officium pentecostale veteris Ecclesie pertinet, quod diebus hisce pentecostalibus commemoratio apostolica passionis fuerit celebrata. Discimus hoc ex *L. fin. C. Theod. de Spectac.* ubi Theodosius & Valentinianus Cass. Theatrorum spectacula Quinquagesimæ diebus fieri prohibent,

hibent, quippe quo tempore commemoratio Apostolice passionis, totius Christianitatis magistra, à cunctis jure celebratur. Innui autem his verbis passionem Pauli, qui κατ' ἐξοχήν Apostolus apud Græcos fuit dictus, & cujus passionis initium in Pentecosten incidit, Actor. cap. XXI. arbitratur Gothof. *ad d. l. fin. n. 6.* Verum & lectionem de Adventu Spiritus S. super Apostolos, in Pentecoste solennem fuisse, liquet ex *can. XC. de consecr. dist. 4.* quando Ambrosius scribit. *Sequitur spirituale signaculum, quod audistis hodie legi: ubi Glossa: Hodie, sc. in die Pentecostes: quia lecta fuerat Epistola de Adventu Spiritus Sancti in Apostolos.*

§. IV. Pro devotione porrò Christianorum hac in festivitate augendâ, requirit Concilium Nicænum, ut stantes illi orent, nec genua flectant. Ita enim in *cap. XX. quod refert Gratianus in can. X. de consecr. dist. 3.* statuit: *Quoniam sunt in die Dominica quidam ad orationem genua flectentes & in diebus PENTECOSTES, statutum est à sancta Synodo (quoniam consona & conveniens per omnes ecclesias custodienda consuetudo est) ut stantes ad orationem vota Domino reddamus.* Ratio dubio procul est lætitia illa publica, quæ hoc tempore totam Ecclesiam replet, ob advenientem supra nos Spiritus Sancti gratiam, propter quam die Pentecostes laus dicitur Deo & Alleluja cantatur, secundum ea quæ habet Ambrosius *in can. IIX. dist. 76.* Et bona quidem intentione à concilio Nicæno atque Patribus hoc statutum esse non negamus; an vero solennitati festi diei aut sacræ lætitiæ per genuum flexionem quid detrahatur, valde ambigimus. Quare cum ejusmodi ritus & ceremoniæ

monia adia phorum loco habeantur, haud immeritò à prædictâ concilii dispositione Ecclesiæ nostræ secessum fecere, genuum inclinationes nullo tempore prohibentes, neque has gaudio pentecostali quicquam obesse docentes, uti jam suprâ *cap. I. §. 2.* monuimus.

§. V. Præterea hanc quoque reverentiam Pentecostes huic festo exhibere voluit Bonifacius VIII. papa, ut, cum prædecessorum suorum constitutionibus, tempore Ecclesiastici interdicti, in terris seu locis huic interdicto subjectis, celebratio missarum & divinorum officiorum prohiberetur, hoc ipsum emendans, concederet, singulis quidem diebus in ecclesiis & monasteriis missas celebrare & divina officia dicere, submissa tamen voce & januis clausis, excommunicatis ac interdictis exclusis, nec campanis pulsatis; in festivitatibus verò Natalis Domini, Paschæ & PENTECOSTES, permetteret campanas pulsare, & januis apertis altâ voce divina officia solenniter celebrare, excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis admissis: sic tamen ut illi, propter quorum excessum interdictum huiusmodi est prolatum, altari nullatenus appropinquent, prout habetur *in cap. fin. de sent. excomm. in VI.*

§. VI. Sed majores lustremus hujus festi solennitates. Præcipuum inter has sibi locum vendicat *Neophytorum Baptismus*, qui in primitiva Ecclesia hoc tempore celebrabatur. Non solum autem Quinquagesimæ diebus collatum fuisse baptismum, patet *ex L. fin. C. Theod. de spect.* ubi Imperatores de his Quinquagesimæ diebus verba facientes addunt: *Quam-*

diu cœlestis lumen lavacri, imitantia novam sancti baptis-
 matis lucē vestimenta testantur. Vid. Socrat. Hist. Eccl. Lib.
 I. cap. 21. Tettull. d. Bapt. cap. XIX. Sed & speciatim Pa-
 scha & PENTECOSTEN hanc sibi solennitatem &
 privilegium vendicasse, Syricii Papæ ad Himerium Tar-
 raconensem scripta epistola nos docet, quæ refertur in
 Can. XI. d. Consecr. dist. 4. Cui addi potest Leonis pa-
 pæ constitutio ad universos Episcopos per Siciliam, in
 can. XIII. d. dist. nec non Decretū Concilii Gerundinen-
 sis, in can. XIV. d. l. quæ omnia relata vide in Disp.
 D. Præs. de Eo quod iust. est circ. Fest. Pasch. cap. II. §. 7.
 Instituti hujus ritus rationem assignat Leo Papa in epist.
 IV. ad univ. episc. exhibita in can. XIII. de consec. dist. 4.
 ubi scribit: Hoc autem nos non ex nostra persuasione de-
 fendere, sed ex Apostolica auctoritate servare satis idoneo
 probamus exemplo, sequentes beatum Apostolum Petrum,
 qui in die, quo omnium credentium numerum promissus
 Spiritus Sancti replevit adventus, trium millium populorum
 suā predicatione conversum lavacro baptismatis consecra-
 vit. Quod sancta scriptura, quæ Apostolorum actus con-
 tinet, fidei historia docet, dicens: His auditis compun-
 cti sunt corde, & dixerunt ad Petrum & ad reliquos A-
 postolos: Quid faciemus viri & fratres? Petrus verò
 ad illos, pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur unus-
 quisq; vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem pec-
 catorum, & accipietis donum Spiritus Sancti.

§. VII. Ab hac tamen temporis observatione
 exceptos voluit Concilium Gerundinense illos, qui mor-
 tis aut alia gravi necessitate urgentur; sic enim in can.
 XV. de Consecr. d. dist. definit. De catechumenis bap-
 tizandis

zandis id statutum est, ut in Pascha solennitate, vel PENTECOSTES, quanto majoris celebritatis major celebritas est, tanto magis ad baptizandum veniant: ceteris solennitatibus infirmi tantummodo debeant baptizari: quibus quocumque tempore convenit baptismum non negari. Quod & præcipit Gelasius Papa in can. VII. d. l. quando Venerabilis, inquit, baptismi sacramentum non nisi in festivitate Paschali & PENTECOSTES tradere præsumas Episcopus: exceptis iis, quibus urgente mortis periculo talibus oportet, ne in aeternum pereant, remediis subveniri. Quod & pertinet ejusdem epistola ad Episcopos Lucaniae in can. XLIX. d. l. Quæ aliaque loca latius recensentur in d. Diss. de Fest. Pasch. cap. II. §. 9. Veruntamen mutata jam Ecclesiæ facie nullum hodie, quoad baptismum conferendum, servari temporis discrimen, nec nisi gravibus de causis hunc antiquorum ritum abolitum fuisse, notius est, quam ut longiori demonstratione indigeat.

§. VIII. Idem circa Eucharistiæ Sacramentum observare licet, cujus administratio similiter quondam plerumque non nisi in Pentecostali aliisque majoribus festis erat usitata. Hinc ita Fabianus Papa in can. XVI. de consec. dist. 2. statuit: Etsi non frequentius saltem in anno ter laici homines communicent, (nisi forte quibus majoribus quibuslibet criminibus impediatur) in Pascha videlicet, & PENTECOSTE & Natali Domini. Idem Concilium Agathense in can. XIX. d. l. his decernit verbis: Seculares, qui in Natali Domini, Pascha & PENTECOSTE non communicaverint, catholici non credantur, nec inter catholicos habeantur: Ut & Eliberitanum, in can.

XXI. *ibid.* Nec inter catholicos numerabitur, qui in istis videlicet temporibus, Pascha, PENTECOSTE & Natali Domini non communicaverit. Videatur tamen de hoc iudicium in *laud. Disp. de Fest. Pasch. d. cap. II. §. II.*

§. IX. Quod ad augendam huius festi celebritatem de Baptismatis & Coenae Dominicae collatione constituere visum fuit antiquis Ecclesiae Patribus, idem & circa *Collationem ordinum Majorum* voluerunt observari, jubentes ut ordines illi, qui sunt Episcopatus, Archidiaconatus, Archipresbyteratus &c. non nisi in jejuniis quatuor temporum, speciatim verò in festo Pentecostes conferantur. Ita enim Alexander III. *Sabbatho quidem Pentecostes non liceat alicui sacros ordines celebrare, cum in sequenti septimana (recepta Spiritus Sancti gratia) celebrentur. cap. I. de temp. ordinat.* Excipitur tamen solus Pontifex Romanus, cui in signum praeminentiae hoc quovis sabbatho facere concessum *cap. III. d. t.* Sed haec veterum placita à Superstitione non longe abesse demonstrat *Casp. Ziegler. in Not. ad Lancell. Lib. I. tit. 24. §. 6.* Ideoque in nostris Ecclesiis jam nullum amplius obtinent locum.

§. X. praeter has dictas solennitates & praerogativas Festi pentecostalis, notari meretur *jejunium*, quod veteres in Pentecostes hebdomate constituere. Est illud unum ex jejuniis illis notissimis quatuor temporum, & *aestivum* vocatur in *can. VI. dist. 76.* memoraturq; ab Urbano Papa in *can. IV. d. dist.* ubi decretum concilii Placentini hac de re adducit, ita definiens: *Statuimus*

tuimus etiam, ut jejunia quatuor temporum hoc ordine celebrentur: Primum in initio Quadragesima: Secundum in hebdomade PENTECOSTES: tertium verò in Septembri: quartum in Decembri more solito fiat. Leo vero Pontifex hujus instituti, quantum quidem ad jejunium pentecostale attinet, certam reddit rationem in *can. seq. V. d. dist.* Igitur, inquiens, post sancta latitiae dies, quos in honorem Domini à mortuis resurgentis, ac deinde in caelos ascendentis exigimus, postq̄ Spiritus Sancti donum, salubriter & necessario consuetudo est ordinata jejunii, ut si quid fortè inter ipsa festivitatum gaudia negligens libertas & licentia inordinata praesumpsit, hoc religiosa abstinentia censura castiget. Statutum tamen, postea fuit in concilio Salegunstino, ut si quando Jejunium mensis Junii in vigilia pentecostes evenerit, non tunc celebretur, sed in ipsa hebdomada solenni Pentecostes, quia vigilia simul & jejunium celebrari non debent, & quod tunc propter solennitatem Spiritus sancti diaconi dalmaticis induantur, & Alleluja eantetur, & flectamus genua non dicatur, *can. III. dist. 76.* Quod & jam antè in concilio Moguntinensi I. fuit decretum, ut sc. hoc jejunium absque genuum flexione, cum Alleluja & Gloria in excelsis Deo & vestibus solennibus fiat, prout refertur in *can. II. d. l.* ob quod ipsum Romanensibus hoc Jejunium Pentecostale vocatur *Jejunium latitiae & Exultationis*, juxta Azorium *Lib. V. II. Instit. moral. cap. 15. qv. 2.* quod tamen ridiculum dicit Balduinus *de cas. consc. Lib. II. cap. 14. inir.* cum de natura sit Jejunii, subigere & affligere corpus, non verò recreare.

48

De Ea Quod Iustum Est

§. XI. Negotiis demum ecclesiasticis accensum
Celebrationem Synodi anniversaria, cui feria
quarta Pentecostes praestituta est in Canone Apostolico
XXVI. cujus verba recensuimus *super Cap. I. §. 6.* Et
hanc quidem sanctionem primitus secutus est ipsemet
Imperator noster Justinianus in *Nov. CXXIII. cap. 10.*
postmodum verò eandem apostolici canonis definitio-
nem legislatoria auctoritate emendandam censuit, ad-
eoque de his conciliis ita edixit in *Nov. CXXXVII. c. 4.*
Sancti Apostoli & patres definirunt, bis in unoquoque anno fieri
debere synodos sanctissimorum sacerdotum in unaquaque provincia
& emergentes causas excuti, & competentem accipere correctio-
nem, hoc est, unam quidem in quarta septimana PENTECOSTES
alteram verò Octobris mense. Nos autem invenientes quod ex
hujusmodi negligentia multi diversis peccatis impliciti sunt, jube-
mus omnibus modis unam synodum fieri singulis annis in singulis
provinciis, mense vel Junio vel Septembri: & convenire quidem
apud beatissimos Patriarchas, illos qui ab ipsis ordinati sunt, &
qui non habent jus alios episcopos ordinandi: ac apud sanctissi-
mos metropolitae cujusque provinciae eos qui ab eis sunt ordinati.
Ex qua novellâ in simul duo colligimus: Vnum, Aucto-
ritatem canonum istorum, qui vulgò Apostolici dicun-
tur, jam tum Justiniani tempore tantam non fuisse, qua-
lem Pontificii perhibent, moti decreto Synodi quod
habetur in *Can. IV. dist. 16.* Videantur ea quae tradit Hug.
Grotius *de Jur. Bell. & Pac. lib. 1. cap. 2. §. 9.* Alterum:
Justinianum utut secularem Dominum & Imperato-
rem, potestatem tamen sibi sumsisse nomotheticam,
etiam in causis ecclesiasticis, & Episcoporum indixisse
concilia, quod tamen Papa hodiernis Imperatoribus
atque potestatibus secularibus denegare, imo penitus pro-

prohiberē nefariē audet, refutatus ob id à quam pluri-
mis Ecclesiæ nostræ Doctoribus & Scriptoribus aliis po-
liticis, vid. post alios Casp. Ziegler. *de Jurisp. Majest.*
Lib. I. cap. 15. Tabor. *de Regim. Imper. Eccles. sect. I. th.*
XXXV. Herm. Conring. *de Majest. civil. autor. circ. sacr.*
th. XLI. Add. Hugo Grot. *de Imperio Summar. Potest.*
circa sacra. cap. IV. seq.

CAP. IV.

DE EO QVOD IVSTVM EST CIRCA FESTVM PENTECOSTES

In Politicis.

§. I.



Secularia quod attinet negotia
in Pentecostes Festo consideranda, in
mediū primo loco producim⁹ *Judicia*,
quæ durante pentecostali lætitia per to-
tam septimanam quiescere debent. In-
culcat hoc non solum Jus canonicum,
in cap. fin. de feriis, sed & constitutio Imperii, nim. *Or-*
din. Cameræ Wormat. d. An. MDXXV. tit. Vacanz: & Ord.
Cam. d. An. MDLV. Part. II. tit. 33. verb. wir wollen auch
daß nun hinführo die Vacanz und Ferien gehalten wer-
den sollen/ wie hernachfolget ic. Von Pfingst. Abend
biß an den Sontag Trinitatis. Quas sequitur *Ordin.*
Process. Ducat. Magdeb. cap. II. pr. & leges omnes Christia-
E norum

norum iudiciorum. Idem Jure Saxonico antiquo legimus definitum, in quo Scultetorum annum iudicium solenne tertia vice post Pentecostes festum haberi dicitur. Weimbild Art. XLVII. der Schuldheiß hat drey Rechte geing in dem Jahr / das erst an dem zwölfften Tag nach Weinachten / das ander am Dienstag als die Osterwochen ausgehet / das dritte als die Pfingst Woche ausgehet. Hi igitur pentecostales dies secundum excellentiam feriatu dicuntur, adeoque sub clausula: *exclusis feriis*, ausgeschieden der Ferten / hos solos una cum festis diebus Nativitatis Domini, Paschatis & Canicularibus, non item minora festa contineri, notat Wehnerus *Observ. pract. verb. Ferien circ. fin.*

§. II. Quod igitur de Paschæ feriis aliisque in honorem norem Dei sacratis festis diebus Imperatores & Pontifices sanciverunt in *L. II. § VII. C. de Fer. § cap. fin. X. eod.* quando actus omnes iudiciales in iisdem sub nullitatis poenâ suscipi prohibent, idem de his quoque Pentecostalibus feriis iure optimo licet asserere, cum eadem in iisdem verferetur ratio. Atque hinc tutò inferitur, haud quaquam in potestate esse partium, exceptioni harum feriarum renunciare, quoniam non in hominum primariò gratiam, sed in divini Numinis honorem sunt statuta. Vid. Henric. Hahn. *ad Wesenb. tit. de feriis n. 8.* Hillig. *Donell. Enuclat. Lib. XXIV. cap. 7. in not. lit. Y.*

§. III. Sequitur porrò exinde, quod omnia illa, quæ in majoribus festis, pascha putà aut Nativitatis dominicæ diebus, prohibita reperiuntur, tempore quoque solennitatis Pentecostalis intelligantur esse prohibita. Sic igitur iure meritoque cessare debet *Executio sententia criminalis*, ne scilicet festi hi dies cruentis fontium funestentur

stentur spectaculis, nisi forte publica utilitas celerem maleficorum pœnam exposcat. vid. D. Præs. in *Disp. de eo quod just. est circ. Fest. Pasch. cap. III. §. 6. & 7.* Idem sentiendum de *criminosorum Quæstionib9 & tormentis*, quæ Paschæ tempore inhibuere Impp. L. VI. & X. C. d. fer. excepto tamen casu, quo sceleratorum proditio consiliorum dilationem nullam patitur. Nec aliud dicendū de *Compulsione annonaria functionis*, aut exactione alia publicorum privatorumque debitorum, de qua in L. VII. C. d. t. Huc porrò referenda sunt *Spectacula*, quorum copiam referari vetant Impp. in d. L. VII. ne religiosi diei otia obscœnis voluptatibus fœdentur; uti contrā Emancipatio, Manumissio, aut similis pietatis actus hoc festivali tempore licitè exerceri potest, modò talia agentes à cultu divino sacrisque meditationibus per ea non revocentur. Vid pluribus d. *Disp. cit. loc.*

§. IV. Quantum speciatim ad Spectacula attinet, interdixerunt iisdem in Quinquagesimæ vel pentecostalibus diebus Theodosius & Valentinianus in. L. fin. C. Th. de spectac. *omni Theatrorum atq; Circensium voluptate, per universas urbes, eorundem populis denegatâ, cum totæ christianorum ac fidelium mentes Dei cultibus occupentur.* Imò in tantum ab his illicebris voluerunt abstineri, ut etsi Natalis aliquis Imperatorū vel alia quædam solennitas Imperialis honoris gratiâ in aliquem ex prædictis diebus festis inciderit, spectacula tamen edi noluerint: Ità enim sequitur in fin. d. l. fin. *Ac ne quis existimet, in honorem Numinis nostri, veluti majore quadam Imperialis officii necessitate compelli, & nisi divinâ religione contempta spectaculis operam præstat, subeundâ forsitan sibi Nostræ Serenitatis offensam, si minus circa nos devotionis ostenderit, quàm solebat, Nemo ambigat, quod*

tunc maximè Mansuetudini nostræ ab humano genere defertur, cum virtutibus Dei omnipotentis ac meritis universis obsequium Orbis impenditur.

§. V. Hac ipsa igitur ratione motus potentissimus Saxonix Elector, gloriosissimæ memoriæ, Augustus, omnes à sacro hoc festo scandalosos conventus, commestationes ac comotationes, nec non tales actus, qui facilem ad quævis delicta viam sternere possunt, quam longissimè abesse voluit: proindeque cum Dn. Ernesto Sax. Elect. in Ord. Provinciali de An. MCCCCXXCII. §. als in Städten. communitatibus civium ac rusticorum comotationem illam anniversariam, quam vocant das Gemeinbier / tempore Pentecostali certò sub temperamento concessisset, verb. Daß die gemeinen Bier in Städten/Märkten und Dörffern/nicht mehr denn zu Weinachten / zu Fastnacht / zu Pfingsten etc. sollen getruncken werden: Ita hanc Constitutionem explicare visum fuit Serenissimo Augusto Electori in Ord. Provinc. de An. MDLXXX. tit. XLIV. ut congregatio ista rusticorum ad hauriendam imbibendamque cerevisiam pentecostalem, das Pfingstbier zu trincken/nō nisi per actis sacris feriis fieri debeat, præscripto insimul certò doliorem numero, injunctoque honestarum morum & concordix studio. Cujus constitutionis verba cum multa contineant peculiariora, digna sunt quæ huc apponantur. Es ist auch eine sehr schändliche Gewonheit eingerissen/ auf den Dörffern/ daß die Bauern auf und an den hohen Festen/ als Weinachten und Pfingsten/ ihre Säußerey bald Abends des Fests anfangen/ und die Nacht über treiben/ und Morgens die Predigt entweder gar verschlaffen/ oder truncken in die Kirche kommen/ und darinnen wie die Säue schlaffen, und schnarchen. & post. An etlichen

etlichen Orten misbrauchen die Bauern ihre Kirchen/
welche ein Behausß seyn soll / für ein Bretschmar oder
Bierkeller / schrotten das Pfingstbier darein / daß es
frisch bleibe / und sauffens daselbst aus mit Gottesläster-
ung und Fluchen &c. Wie denn Gott selbst im 55ten
Jahre / das Bauersvolck sonderlich verwarnet und erin-
nert hat / von solchem Schwelgen abzustehen / da er eben
am Pfingst-Sonntage unter der Predigt / an vielen
Orten das liebe Getreyde auf dem Felde jämmerlich mit
einem erschrecklichen Wetter in die Erden geschlagen /
und an etlichen Orten / da das Pfingstbier im Glo-
ckenthurm gelegen ist / und die Bauern gewislich mehr
ihre Gedancken auf die fürhabende desselbigen Tages
Säufferey / denn auf die Predigt / oder zum Gebet ges-
richtet hatten / in die Kirchen / unten im Chor / mit dem
Feuerstrahl geschossen hat. Et Post. Und da sie ja wol-
len den Bauern das Pfingst- und andere gemeine Bier
erläuben / sollen sie doch ihnen nicht gestatten / Acht / Zes-
hen oder Zwölff Viertel Biers / ihres Gefallens einzus-
legen / sondern ihnen eine gewisse Anzahl / nach der Ge-
meine des Volcks vergönnen / und gebiethen / daß sie das-
selbige friedlich / züchtig und bescheiden / nach den Feyer-
Tagen austrincken / bey aufgesetzter Geldstraffe / da-
von jemand ein greulicher Fluch oder unzüchtige Rede
gehöret würde. Quam piam Constitutionem renova-
tam à D. Joh. Georgio I. & iisdem penè verbis repetitam
leges in den General Artic, Tit. XLII. §. an etlichen Or-
ten. Concordat die Chur-Brandenburgische Policey-
Ordnung des Herzogth. Magdeb. Cap. XII. in fin. ubi ita :
Da auch unsere Ampt-Leute / oder andere Gerichtshab-
bere einer Dorffschafft / auf und an den hohen Festen / als
Weynachten und Pfingsten gemeine Bier zu trincken
verstatten würden ; So soll doch dasselbe ehe nicht / dann
E 3 den



Den Weynacht- oder Pfingstdienstag/und erst nach der Predigt getruncken werden.

S. VI. Idem plane circa Exercitium illud sclopetariorum, hoc in festo celebrari solitum constituere Serenissimi Legumlatores. Notum quippe est, inveterato quodam usu in omnibus ferè locis per Germaniam receptum esse, ut in Festo Pentecostes lignea quædam avis expansis alis in sublime erigatur, globisque è bombarda emissis petatur, assignato certo præmio eis, qui partem quandam, aut ultimam corporis illius lignei particulam relo dejecerint: Id quod communiter vocari solet, **Das Pfingst-Vogel-Schießen.** In ludi hujus originem jam inquirere non vacat: Sunt tamen qui haud improbabili ratione eundem à gentilibus arcessunt, arbitantes, ethnicos & fidei Christianæ hostes, videntes quod Christiani Spiritum Sanctum sub columbæ specie super Apostolorum vertice pendentis pingant, in horum contemptum tempore isto, quod Spiritus illius super Apostolos missi memoriam anniversariam exhibet, columbam è ligno fabricasse, & sagittis petere fuisse solitos, atque hunc deinde morem paulatim ad ipsos Christianos perrepisse, vel vana æmulatione ab iis esse arreptum, qui inter profanam illam gentem vixerunt, eorundemque ludos imitari non sunt veriti. Quicquid hujus sit, laudatissimi Principes Electores, quorum jam antea facta fuit mentio, ipsum quidem hoc exercitium non penitus improbant, hanc tamen eidem posuerunt metam, ne in ipsis instituat tur feriis, nec per illud cultui divino vel minimum fiat impedimentum. Ita enim *dd. Ordin.* statuunt: So soll auch an den Oren- da das Vogel-Schießen nicht gantzlich abgethan werden mag- ehe nicht denn auf den Dienstag

stag in Pfingsten/ nach der Predigt zu schiessen angefangen/ und über denselben Tag kein gemein Bier dabey oder nach getruncken werden.

§. VII. Sed cur, inquires, ludi isti & conventus per sacrum hoc tempus non planè abrogantur potius, quàm ut per illos occasio malorum & scandali præbeatur plebeculæ rudi? R. In Festo die, sacris peractis, corpori quoque sua debetur recreatio, quâ multi, æque ac potu, carere nequeunt. Quod si igitur ea non sit scurrilis vel scandalosa, facilè rusticis aut civibus hæc indulgetur, ne aliàs ad planè illicita prolabantur homines otium iners sequentes. Ad talem verò recreationem tum honestas conversationes & symposia, tum jaculationes palæstricas pertinere, dubium non est, cum in vitâ tam privatâ quam publicâ usum habeant haud contemnendum, modò tamen cultus divinus per eas non impediatur, qui cunctis rebus debet esse potior. Vid. Balduinus *d. Cas. Consc. Lib. II. cap. 13. cas. 4.*

§. VIII. Quid igitur de *Choreis* statuendum? Num hæc quoque titulo honestæ recreationis venient, ut rusticis in festo Pentecostes pro more inveterato permitti queant? Negabunt hoc fortassis illi, quibus cum Gailiello Lugdunensi choream definire placet, quod sit circulus, cujus centrum est diabolus, à quo omnes virgines seu mulieres ducuntur in sinistra manu, in signum malitiæ, & qui propterea cum Friderico III. Imperatore febricitare malunt, quam saltare, allegante *Capz. Jurispr. Consist. Lib. II. tit. 8. def. 157. n. 3.* Verum non omnes promiscuè choreas damnandas esse, tum exempla piorum, qui saltasse leguntur, ut Davidis *II. Sam. V. v. 14.* Mulierum Israeliticarum, *I. Sam. XIX. v. 6. &*

v. 6. & puerorum in historia evangelica, *Math XI. v. 17.* tum iudicia gravissimorum Theologorum, inter quos est B. Luther. *in Postill. Eccles. Domin. II. post Epiph. Meiner. Philos. sobr. Pars. I. sect. 2. cap. 4. qv. 2.* demonstrant. Quare easdem juventuti, praesertim in pagis & villis, diebus feriatis permitteremalut pii Magistrato, quam rigorosa earundem prohibitione occultis peccatis aliisque facinoribus fenestram aperire. Quod idem prudenter satis perpendit potentissimus Sax. Elector, quando saltationum publicarum a festo hoc pentecostali ad Michaelis usque diem, singulis diebus dominicis in pagis habendarum copiam facit gratiosissimè, ita tamen ut id fiat (1) post peracta sacra (2) interdium (3) in loco publico (4) absque lascivis circumagationibus ac gestibus minus decoris, veluti disponitur in Articulis generalibus *Tit. XIIX. von den Tänzen* / his verbis: So gelanget doch an uns / daß die leichtfertige Jugend / deme außserhalb unserm Lande nachlaußft / der Ende das ihre verschwendet / welches wol verbleiben könte / und dych Hader und Zanck in grosse Beschwerung geraheten. Damit aber solches vorkommen / und der frechen wilden Jugend hierinne Ziel und Maas gegeben werde / so laßen wir / biß auf fernere Verordnung / geschehen / da es gebräuchlich / daß der Tanz alle Sonntage / nach verrichteter Vesperpredigt / von Pfingst-Dienstage an biß auff Michaelis / auch einen Tag auf jedes Dorfs Kirchmeß / und einen Tag in der Fastnacht / bey Tag und Sonnenschein / bey gewisser Peen ehrlich / ohn einiges verdrehen u. unzüchtige Geberde an einen öffentlichen gemeinen Ort / und in keinen Winkeln / zu halten verstattet werde.

§. IX. Eadem ex ratione toleratur hodiernum saltatio illa publica, *der Frohn Tanz* / quæ in oppidulo Langenberg, dynastiæ Geranæ longo inolevit usu, ubi ex certis quibusdam pagis, tum illius Dynastiæ, tum & peregrinæ jurisdictionis subditi, & quisq; istorū unà cum uxore vel filia sua, tertiâ Pentecostes feria comparere, & in loco quodam publico ad hunc actum destinato, choream ducere obstricti sunt, ni mulctam Sexagenæ incurere malint: quam quidem choream apparitor iudicii, (*der Gerichts Knecht*) primus incipit, cæteri verò suo sequuntur ordine, pro quo servitio certus placentularum numerus & aliquot cerevisiæ mensuræ ipsis porriguntur, prout testatur D. Petrus Muller. *In jurispr. Element. Coroll. 2. ad Disp. XIX.* Cæterum in ditionibus Illustrissimorum Comitum de Schwarzburg, lineæ inprimis Rudolphopolitanæ, omnes choreas Pentecostales, *die Pfingsttänze* / penitus abrogatas esse, postquam ante annos aliquot civis quidam Rudolphopolitanus inter saltandū misere fuisset trucidatus, comperim⁹ à magni nominis Jcto D. Ahasvero Fritschio Cancellario Schwarzburgico.

§. X. Occasione chorearum *de Nuptiis* disquirimus, num harum solennitates, quarum appendix & clausula esse solet Saltatio, in Pentecostes hoc festo licite celebrentur? Decisum hujus quæstionis desumi potest ex iis, quæ de Nuptiarum prohibitione in tempore Quadragesimali & Paschali latius adducta fuere in Disp. D. Præs. *de Temp. Quadrag. cap. II. §. 9.* & *de Fest. Pasch. cap. II. §. 12.* Sacri equidem canones nemini prorsus negotiis istis profanis occupari tempore sancto concedunt, idque eo minus, cum lege ecclesiæ omnes Christi-


stiani in Pascha & Pentecoste, Sacra Synaxi uti teneantur, ad quam se piis meditationibus preparare, non autem nuptialibus curis onerare animum debent, juxta Bellarm. *Lib. de matrim. cap. XXXI.* Quin & Clemens V. in *cap. IV. X. de feriis*, de peculiari Ecclesiae Romanae perhibet consuetudine, qua nuptiae usque post septimum diem festi Pentecostalis suspensae fuerunt. E contrario tamen nuptias in Festo Pentecostes à Concilio Tridentino permissas esse, patet ex ejusdem decreto *Sess. XXI. cap. 10.* Cujus hanc reddit rationem Bellarminus *de cap. XXXI.* quod rarior hodie in Pentecoste sit sacrae communionis usus, Clemens quoque V. Pontifex, consuetudinem istam Ecclesiae Romanae quam memorat *d. cap. IV. de fer.* haud approbat tanquam universalem, nec certum quidpiam de illa determinat, ut hinc secundum Canonum decreta nuptias in diebus pentecostalibus per se prohibitas haud esse constet. Verum cum Principes nostri Evangelici, in ordinandis Nuptiarum temporibus, non ad solam S. Coenae exhibitionem, sed ad cultum potius divinum in Ecclesia Christiana peragendum respiciant, merito sub temporibus prohibitis Festum quoque Pentecostes complecti volunt, hunc in finem, ut homines ad devotam solennis hujus festi celebrationem magis praeparantur, nec mens divinis intentis mysteriis, per vanas cogitationes aut ipsas nuptiales epulas turbetur ac distrahatur, Gerhard. *Loc. de Conjug. S. CCCCLXIIII.* Quod & tendit Electoris Sax. prohibitio in *Ordin. Eccles. Artic. gener. XIII. & Ord. matrim. d. An. MDCXXIV. punct. 5. verb. Sollen die Hochzeiten nicht auf den Sontagen/oder andern Fevertagen gehalten werden.* Quae prohibitio cum sit generalis, generaliter quoque est.

est intelligenda, L. II. de publ. in rem act. adeoq; etiam ad Pentecosten applicanda, quoniam generalis dispositio tantum operatur in specialibus, quantum specialis expressio singulorum, L. I. §. 4. d. offic. pras. urb. Quod ipsum tamen de solis nuptiarum celebrationibus, quæ amicorum & hospitem conventu, epulisq; ac choreis publicis expediuntur, intellectum volumus; absque hac enim festivi pompa si quis solam benedictionem sacerdotalem & desponsatorum copulationem ab Ecclesiæ ministris flagitaret, licite & sine ulla festi profanatione ipsi hanc impertiendam esse, lubentes concedimus; nec enim cohabitatio conjugalis sanctitati temporis obstat, nec nostri Magistratus ad Pontificiorum superstitionem respexisse credendi sunt, prout pluribus id prosequitur Gerhard. cit. loc. §. CCCCLXIX. in fin.

§. XI. Coronidis loco notasse sufficiat, quod Pentecostes Festum multis in locis subditos interpellat de Censu consueto Superioribus aut Dominis solvendo: qui Censu cum in variis rebus, gallinis putà, ovis, nec non caseis aut similibus ad victum pertinentibus consistat, denominationem ab ipso tempore solutionis obtinet, ut hinc in libris censualibus legantur die Pfingst. Ruhe/Pfingst. Hüner &c. hand secus ac Fastnachts Eyer/Herbst. Hüner. &c. Vid. Limn. de Jur. Publ. Lib. VI.

Cap. 4. num. 20.

TANTVM.





Jam TV magna geris præclaræ nomina gentis.
Hoc decus illustras indole, MAGNE, Tua.

Nobilissimo Doctissimoq; Dn. Respondenti

Amico suo per dilecto & estimatissimo scrib.

Jo. Paulus Hebenstreit / P. P.
& h.t. Acad. Rector.

Ad Nobilissimum Dominum Respondentem.

Est *Augusta* dies, magna & solennia Festi,
Quo sacrum pia gens Flamen adorat ovans.
Fit magis *Augustum*, Festi dum jura recenset,
Quidve pios deceat, mente manuque doces.
Sed quoque sic virtus tua nunc augebitur: atque
Magnus & Augustus nomine reque clues.

PRÆSES.

Quæ Pentecostes justa sunt, doces, Festo, Scientiam-
que Juris inde demonstras: Justum ergo, Amice,
est, hosce ut arduos ausus

Dignis labore præmiis Themis mactet.

*Nob. atq; Praclaro Dn. Aug. Mag. Prinzen / Fantori
pariter & Auditori suo honorato cum voto
omnigenæ prosperitatis scribebat*

Johannes Georgius Simon / D.
Consil. Sax. Vinar. Aulic.

Fama

(o) 35

Fama tui Studii fructus promittit amœnos
Quos mox decerpas, apprecor ex animo.

*Id quod ex animo vovet Nobiliss. ac Politissimo
Dno. Respondenti, Inquilino & amico suo ho-
noratissimo*

Laurentius Schrader / J. U. D.

Illustr. Regim. Saxo-Vinariens. Advoc.

Explicas sanctissima Jura circa
pentecosten; hisce tui virescit
Fama clari nominis. Euge! perge;
Dulce foenus mox studii videbis

*Hecce sunt, quibus Nobilissimo Dn Respondenti
Amico æstimatissimo de egregio eruditionis spe-
cimine gratulari, amicitieque memoriam con-
secrare debuit*

M. Christophorus Dörndorff /

J. U. Candidat.

Tendis ad *Augusta, Auguste, augusto* omine, macte!

Inde Tibi *Magno* gloria magna venit.

Quid magis *Augustum* tam *augusto* nomine dici

Quæso potest? quàm dum *Sacra* *œquis* adis,

Magnos progressus quod non finis esse, latentes.

Euge, Tibi *Augusto!* Nominis omen habes.

*Hisce laudabilissimos conatus æstimatissimi amici
sui gratulab. prosequi voluit*

Jeremias Calmann, S. S.

Theol. Stud.

§ 3

Herr

❁(o)❁

Herr Prink/ sein hoher Geist
Hat sich den rechten Weg erwöhlet/
Der zu den Sternen weist/
Wo Tugend-Ruhm nicht wird verhelet.
Er hat sich wohl mit Wissenschaft versehen/
Drum kan Er jekund frey ins Freye gehn/
Was ist's? die Tugend-Sehnsucht kan bey Ihn
nicht eher ruhn/
Sie sucht das angeerbte Lob mehr zu ver-
mehren/
Drum will Sie zu des Vaters Ruhm auch
ihre Strahlen thun/
Hier kan man eine Prob auch ausser Hauzen
hören.
Heist das nicht recht: des Väterlichen Ruhms
ein grosser Mehrer seyn?

Mit diesem wolte seinen werthesten Freund
und Herrn Landesmann/ zu abgeleg-
ten Specimini disputatorio innigst be-
glückwünschen

Michael Friedrich Cunisius,
Medic. Stud.

Non



Non possunt aquilæ teneram generare
columbam,

Non producit ovem magnanimusq; Leo.
Sed plerumque solet similem sibi gignere
quisque;

Hæc, inquam, de Te singula jure valent.
Scilicet insequeris docti vestigia Patris

*Prinzi, magna petens, hinc quoque ma-
gnus honos.*

Hæc gratulabundus adjicere voluit

Michael Schram, Budiss.

Luf. Med. Cult.

Patris quæ cecidit virtus, Bauzena, resurgit
In *Magno*, cujus dat documenta, *Tuo*.
Maacte Tui virtute patris! non deficit alter,
Virtutes magnas hîc quoque Patris
habes.

*Hiscæ de laudabilibus, quos fecit, in Jure profecti-
bus dilectissimo Dn. suo patrueli, atque Cha-
rissimo in paucis amico, vestigia b. Dn. Patris
sui legenti, gratulatur*

Johann Jacob Borschius

Jur. Stud,



Prin-



PRincipis est, animum *magnis* intendere rebus
Et *magnos* omni tempore *magna* decet.
Rem facis egregiam, cathedram dum scandis, Amice,
Incedis recto tramite, perge, Vale.

Gratulationis ergo apposuit


Johann Christian Schramm.
Budiff. Lusat. LL. Stud.

I.

Wauken / Auge teutscher Welt /
Frenlich lobt man deine Thränen /
Und der frommen Bürger sehnen /
Da dein Trink zu Boden fällt.
Und wer will bey solchen Dingen
Seiner Zähren Kinnsall zwingen.

Die belobte Redlichkeit /
Wird in frühe Grufft begraben /
Und die wohl-beliebte Haben
Sind wie durch den Wind zerstreut.
Der Bericht und Recht halff halten /
Muß als ohne Rechter kalten.

3. Doch




3.
Doch ob schon der Vater findt/
Send die hohe Macht von Himmel
Ihn aus diesem Nord- & Bewimmel
Der verruchten Erde windt;
Kan jedoch des Sohnes Leben
Ihm wie neuen Athem geben.

4.
Hier entzündet sich die Brust /
Bon der angelebten Jugend:
Hier wird die beliebte Jugend
Aller Münsie Ziel und Lust ;
Ja man sieht bey jedem Stücken
Hier ein Bild des Vatern blicken.

5.
Nun / mein Prink / so säume nicht /
Fahre fort in deinen Wegen /
Trit dem Leyd und Nend entgegen /
Bis man einst erfreulich spricht :

Prin



Prinzens-*Wahm* ist mit den *Thaten*
 Nun in gleiches *Licht* gerahen

Dieses setzte durch vetterliche Liebe und
 wohlgepflogene Stuben-Gesellschaft
 des Herrn *Respondentis*

verpflichtester

Georgius Henricus Seifert

LL. Studios.

PRINZI sub valido nil quam sublimia
 spiras

Corde, sat ostendit, quod meditaris, opus.
 Ardua dum minimè trepidasti poscere Phœbi
 Prœlia, quodq; magis, nunc animosq; adis.
 Apprecor ex animo scandas ut pulpita felix
 Atque brevi maneat Purpura digna caput.

Hisce paucis Nobilissimum Dn.
 Conterraneum suum *beri oppo-*
nentem, bodiè Respondentem co-
mitatur.

Christianus Martinus Zornitius

Philos. & S. S. Theol. Stud.



01 A. 6517


ULB Halle 3
002 937 565




TA-FL.

V317 Retra ✓







XX.
AD ASSISTENTE SPIRITVS S. GRATIA.
DE EO QVOD IVSTVM EST

CIRCA
FESTVM PENTE-
COSTES,

Dom
Rechte des Heil. Pfingst-Festes.

EXERCITATIO IVRIDICA

QUAM

PRÆSIDE

DN. CHRISTIANO WILDVOGEL

JCTO, SERENISSIMORVM FRATRVM, DVCVM SAXO-VI-
NARIENSIVM CONSILIARIO AVLICO, PANDECTARVM PROFES-
SORE PVBLICO ORDINARIO, CVRIÆ PROVINCIALIS, NEC
NON FACVLTATIS IVRIDICÆ ET SCABINATVS
ASSESSORE GRAVISSIMO

IN ACADEMIA JENENSI

PVBLICÆ DISQVIVITIONI

subjicit

AVGVSTVS MAGNVS PRINTZ,

Budissinus
MENSE JVLIO

AN. DOM. MDCXCI.

Literis SAMVELIS ADOLPHI MVLLERI.

